

Specimen medica inauguralis sistens observationem chirurgicam, de manu avulsa / [Volkert van der Plaats].

Contributors

Plaats, Volkert van der.

Publication/Creation

Leeuwarden : D. van der Sluis, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g9hazs6g>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

480

J42

H

XX

>

216



H xxv. w

9

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

SISTENS

OBSERVATIONEM CHIRURGICAM

DE

MANU AVULSA.

STYLIUM MICHUMI MICHUMI

STYLIUM

STYLIUM MICHUMI MICHUMI

STYLIUM MICHUMI MICHUMI

45
42600
SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE
SISTENS
OBSERVATIONEM CHIRURGICAM,
DE
MANU AVULSA,
QUAM,

SUMMO ANNUENTE NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
J. H. REGENBOGEN,
S. S. Theol. Doct. Ejusdemque Facultatis, ut &
Histor. Eccles. & Exeg. Bibl. Prof. Ordin.

NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVI-
LEGIIS, IN UNIVERSITATE FRANEQUERANA,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
Eruditorum Examini Submittit
VOLKERT VAN DER PLAATS,
FRISIUS,
A. D. v Januarii MDCCCIV. H. L. Q. S.

LEOVARDIÆ,
APUD D. V. D. SLUIS, REIP. & ACAD.
TYPOGR. MDCCCIV.

*Fidei morborum observationi Medicina
originem debet, atque eadem
semper quam maxime promove-
bitur.*

VAN SWIETEN,



VIRO DOCTISSIMO

SIMONI STYL

MED. DOCT. HARLINGENSI

EX AFFINITATE PRO PA-

TRUO COLENDO,

NEC NON

VIRIS CELEBERRIMIS

JOHANNI MULDER,

ET

E T

CHRISTIANO ALLARDI,

PROMOTORI DIGNISSIMO,

MEDICINAE IN ACADEMIA FRA-

NEQUERANA PROFESSORIBUS

ORDINARIIS,

FAUTORIBUS ATQUE PRAE-

CEPTORIBUS PRORSUS

EXIMIIS,

*hasce primitias ea, qua
par est, observantia
dedicat*

AUCTOR.

P R A E F A T I O.

Studiorum Academicorum curriculo absoluto, Specimen aliquod profectuum exhibere compellor.

Quum autem materiam, humeris aequam inveniendi difficultas, quae plures pressit, et mihi obvenerit, diu anceps haesi; tandem vero non alienum putavi, Observationem quandam Chirurgicam Dissertationis loco proferre, Casus aliquot analogos colligere, et Animadversiones inde elicere.

Interim arrisit Observatio DE MANU AVULSA quam honoratissimus Praeceptor, Cel. MULDER, in Praelectionibus publicis exposuit, atque nobiscum in Lectionibus privatis, praeter alias bene multas, communicavit.

Hanc igitur Observationem tibi, B. L., offero, sique praeter eam, animadversiones additae non penitus displiceant, erit quod mihi gratuler.

P R A E F A T I O.

Ceterum ut pro venia hancce Observationem edendi, mihi benevole concessa, Viro Cel. MULDER publicas hic ago gratias; sic huic et Cel. ALLARDI pro fidelissimis admonitionibus et egregiis institutionibus me obstrictum sentio, utque sibi in posterum me maxime commendatum habeant, quam humanissime peto!

OBSERVATIO CHIRURGICA

DE

MANU AVULSA.



S E C T I O I.

CASUS ENARRATIO.

§ 1. **I**uvenis quidam, BERNARDUS VOORST, die 29 mensis Augusti, anni 1796, cum Tormentum bellicum Pulvere pyrio impleret, inopinato facta explosione, vulneratus fuit ita, ut Chirurgus, instituto examine, integram Manum avulsam esse perciperet, Antibrachium totum dilaceratum, Ulnam atque Radium in innumera frusta disrupta, et Os humeri, in medio fere, Fractura composita divisum.

Haemorrhagia non insignis aderat, prae terrore tamen Ille intermortuus jacebat.

Medici atque Chirurghi alii in auxilium vocati dissentiebant, num Membri Amputatio foret necessaria, an vero quantumpotere reponendae essent Fracturae, adeoque Brachium, si fieri posset, servaretur.

Aestumatisimus noster Praeceptor, Cel. MULDER, cujus auxilium praeterea rogatum fuit, priori sententiae favebat, posterius vero impossibile habebat: Tamen ex plurimorum arbitrio Repositio tentata est, et Deligatio simplex, non valde premens, injecta; V. S. iussu instituta, et Antiphlogistica methodus, ut Inflammationis impetus infringeretur, adhibita. Torcular, et quae ad Haemorrhagiam forte sistendam usu venirent, ad manus erant, quod tali in casu semper necessarium esse, cuivis Artis perito notissimum est.

Quae altero die Remediis quodammodo cedebat Inflammatio, tertio die adeo ingravescebat, ut, die quarto, remota Deligatione, Antibrachium totum, atque

que Brachii pars inferior Gangraena correpta cerne-
rentur, et Æger in periculofissimo ftatu verfaretur.

Iam unanimi confenfu, cum anceps Remedium nul-
lo praeftantius eſſet habendum, Amputationem
quam citiſſime inſtituendam eſſe opinabantur omnes,
ceteroquin Ægrum inevitabilem mortem effugere nul-
lo modo valere.

Igitur Cel. MULDER die 2 menſis Septembris
Operationem inſtituit et Brachium, paululum ſupra
inſertionem Muſculi Deltoidis, amputavit.

Partes molles, uti oportet, quantumpote fervare
conatus eſt Vir Cel: — Vix autem ob brevitatem
partis reſiduae, totum Oſſis reſecti extremum ita te-
gere potuit, ut integumenta communia ab omni parte
ſeſe tangerent.

Inde, exhibita Corticis Peruviani larga doſi, Æger
indies melius ſeſe habere coepit, et brevi, ſolutis
Arteriarum ligaturis, plagae maxima pars conſolidata
fuit, ſed in integrum non ſanata, niſi ſeparato prius
Oſſeo extremo, quod fiebat die 23 menſis Octobris.

Notandum adhuc, primis poſt infortunium diebus

et etiam peracta Operatione, Symptomata Nervea fuisse observata, in quibus Urinae suppressio maxime insignis erat, ita ut Cathetere aliquandiu iste humor eliminari debuerit. Narcoticis vero et Antispasmodicis adhibitis ista Symptomata fuerunt fugata.

MANUS AVULSAE DESCRIPTIO.

§ 2. Partes avulsae, quae magna distantia a loco, ubi infortunium accidit, inveniebantur, sequentem in modum se habebant, et in Musaeo Aëstumatisissimi Praeceptoris conservantur.

Digitus Index, Medius, et Annularis, integerrimi sunt, et nulla dilaceratione, neque fractura turbati, Pollicis quoque externa pars unguolata illaesa est, sed osficulum ejus secundi ordinis in medio abruptum; — Integumentorum communium, quae Metacarpum externe investiunt, segmentum semicirculare cum digitis modo memoratis et Pollicis dorso integro cohaeret, atque libere inde pendet; — Circulus integumentorum, qui Os Metacarpi Pollicis investiebat antea, illaesus huic segmento annexus est, cetera defunt. Ten-

Tendo communis Musculi extensoris Digitorum, [quatenus ad dictos Digitos pertinet,] totus cum particulis nonnullis carneis a Digitis insuper pendet, ad longitudinem 10 pollicum, ut et Tendines Musculi Sublimis atque Profundi ejusdem fere longitudinis.

Praeterea adhuc cum hacce parte avulsa cohaerent Musculus Extensor Indicis proprius, et Pollicis Flexor Longus. — Pars abrupta Pollicis, scilicet Osficuli secundi ordinis extremum, et Pollicis Os Metacarpi, ex dicto annulo Integumentorum evulsum, separatim inveniebatur, cum adnexis Tendinibus Musculi Extensoris majoris, Extensoris minoris et Abductoris longi, Pollicis. Tandem Digitus Minimus itidem separatim inventus integer existit, et totum Musculum Extensorem proprium secum fert, cum partibus Tendinis communis Digitorum, Extensoris atque Flexoris quae ad Digitum minimum pertinent.

6 O B S E R V A T I O

S E C T I O I I.

C A S U S A N A L O G I.

§ 3. Non inaudita, neque adeo infolita sunt, istiusmodi observata, ut non dentur casus paraleli, vix tamen, si annales Medicos consulamus, inveniemus, ubi tantus Musculorum numerus inde ab origine evulsus, cum membro avulso cohaeserit. Videamus quid pasim de hac re notatum, quidve praestitum fuerit, ut, hisce enarratis atque cum casu memorato comparatis, animadversiones quasdam, pro viribus inde elicere, iisque super-addere, valeamus.

D I G I T I A V U L S I.

§ 4. Longe maximus numerus membrorum avulforum singulos Digitos spectat, qui alicubi retenti, et magna vi adhibita evulsi, Tendines sibi proprios vel in totum vel pro parte secum tulerunt.

C A S U S I & 2.

Duo inveni Exempla, ubi Equus mordendo Pol-

licem ita auferebat, ut, in utroque casu Haemorrhagia vix ulla aderat, et brevi, absque multo molimine vulnus sanabatur (a).

C A S U S 3.

Memini quoque me audivisse Pollicem alicujus hominis, Equum retro currum fune retinentis, vehementiori hujus animalis motu evulsum fuisse, cum omnibus ejus Tendinibus annexis.

Haec quoque dilaceratio mala Symptomata non produxit, et facili negotio fuit curata.

C A S U S 4.

Alius adhuc hominis senis, Equos praecipiti cursu ruentes cum retinere vellet, neque posset, Pollex loro involutus itidem evulsus est ex articulo phalangis primae cum secunda; Tendines Musculorum Extensorum pro parte, et Musculi Flexoris tota sui longitudine cum substantia carnosâ, inde pendebant: Haemorrhagia iterum fere nulla aderat, sed dolor percipiebatur insignis, a parte laesa sese ad Humerum atque Collum extendens.

A 4

Per

(a) Vide Mem. de l' Acad. R. de Chir. Tom. IV. p. 158.

3 O B S E R V A T I O

Per 24 horas Æger febricitabat; et V. S. etiam repetita instituebatur, Remedia Antiphlogistica exhibebantur, et Cataplasma ex mica panis Antibraehio imponebatur; quo facto, præter singularem sensibilitatem, usque ad diem 15^{um} superstitem in superficie vulneris, quæ nihil ferebat nisi plumaeccolam albumine ovi imbutam atque splenium superinpositum, Cerato inunctum, omnia symptomata cessabant, et Æger sexta fere hebdomade elapsa sanabatur (b).

C A S U S 5.

Mulier, cujus Digitus annularis unco, cui carnes appendi solent, inhaesit, cum sedes quam conscinderat, cadebat, Phalangem primam cum Tendine Musculi Perforantis sive Profundi usque ad partem ejus carnosam amisit. — Malae sequelae non fuerunt observatae, licet Ægra cacochymica esset et anno præcedenti Hydrope vexata, qui tamen non nisi Oedemate levissimo superstite fugatus erat (c).

C A S U S 6.

Vetula quaedam, fulmenta caementariorum præteriens

(b) Ibid. pag. 147. (c) Ibid. pag. 159.

riens laedebatur lapide a tabulato tertio supra pedem elapso.

Chirurgus inveniebat Pollicem in plura frusta fractum et tres Digitos pedis totos esse separatos a Metatarso, cumque iis partem Musculi Flexoris, tres fere digitos transversos longam, et Pollicis Extensorem, evulsa esse: Digitus minimus integer erat. — Ceterum pars reliqua Pedis admodum erat contusa atque dilacerata & Tendines Musculorum Extensorum Digitorum Pedis nudi conspiciebantur. — Haemorrhagia non insignis erat.

Particula Integumentorum cujus ope Pollex adhuc cum reliquo Pede cohaerebat, et alia segmenta dilacerata cultro tollebantur, et vulnus deligabatur Linteo carpto, Spleniis, et Fascia. — Fomento ex Decocto emolliente Splenia assidue madefiebant, diaeta tenuis praescribebatur, et V. S. bis in Brachio instituebatur, bis itidem in Pede. Attamen doloris sensus vehementissimus observabatur, uti et motus convulsivi in Pede, et deliria. — Prima Deligatione remota, Vulneris aspectus nihil mali offerebat, Lin-

IO O B S E R V A T I O

teum carptum Digestivo illinitum imponebatur, et hoc tegebatur Splenio Decocto memorato, cujus Pintis duabus Capita Papaverum No. II fuerant addita, imbuto, et hoc Fascia firmabatur.

Omni bihorio interne propinabatur Julapium Emolliens, Anodynum — Ita Symptomata graviora indies imminuebantur et 7^{mo} vel 8^{vo} die penitus cessabant.

Suppuratio rite procedebat, et die 48^{vo} Ægra plenarie erat restituta (d).

B R A C H I A A V U L S A.

§ 5. Rariora sunt Exempla Membrorum majorum atque totius extremitatis, a Corpore avulforum. Dantur tamen aliqua, quorum nunc, memoratis iis, quae minoris momenti esse apparent, mentio est injicienda.

C A S U S I.

Primum casum, cujus hic mentio facienda est, ab Exp. LA MOTTE (e) notatum invenimus, qui huc redit. — Puerulus quidam, dum in Molae vicinio ludebat,

(d) Ibid pag. 144.

(e) Vide ejus Traité complet des Accouchemens. 1741, 4. Obs. 41.

debat, cum ea ita implicabatur, ut primo Manu, deinde Antibrachio, tandemque Brachio, prehensis tota extremitas superior, cum Truncus prehendi non posset, a corpore fuerit avulsa. — Haemorrhagia tam exigua aderat, ut Linteum carptum, quo vulnus tegebatur, sufficeret ad eam compescendam atque impediendam. Attamen non longo tempore post Puer in sanitatem fuit restitutus, et vulnus consolidatum.

C A S U S 2.

Alter casus, itidem Pueri est, qui, currum videns sex Equis proVectum, pone illum adscendere tentabat, sed scopum non attingebat, et alterutrum Crus rotæ radiis intricabatur.

Brevi in articulatione Genu Crus a femore separabatur, et avulsum in viam cadebat: — Puer vero singulari modo currui affixus ferebatur per ducentos fere gresus, antequam Auriga animadverteret infortunium — Tandem expediebatur, et ad Chirurgum delatus cum maxime inquietus erat se suum Crus amisisse, atque petebat, ut illud sibi redderetur, ne Mater, quid accidisset, perciperet. — Vulnere explorato

apparuit, partem inferiorem Osfis femoris trium fere digitorum spatio denudatam esse, Musculos Vero et Tendines irregulariter abruptos atque dilaceratos, pro ratione majoris, minorisve resistentiae, quam offerre valebant: — Sanguinis ne gutta quidem effluebat.

Musculorum fragmenta Cultro semicirculari fuerunt abscissa, et Os quousque prominebat, ferra resectum. — Vasorum ligatura non opus erat, et Deligatio simplex qua labia vulneris quantumpote reuniri possent, injecta sufficiebat.

Curatio vulneris rite procedebat, licet necessariam quietem atque regulas diaeteticas fervare Æger vix potuisset.

Crure avulso penitus examinato invenerunt, inter alia, majora Vasa Sanguinea inde esse pendula, quin Arteriam Cruralem longitudine fere sex unciarum cum Crure adhuc cohaerere (f),

C A-

(f) Vide Mem. de l' Acad. R. de Chir. Tom. IV p. 141 & seq.

C A S U S 3.

Molitor, Viginti sex fere annos natus, intra molam aliquid peragens, infortunio funem arripuit, cujus extremum, rotae cujusdam denti implicitum, attrahebatur ita, ut infelix ille sursum delatus ad tignum allideretur, cui centrum rotae respondebat, eoque retineretur; interea rota in motu perseverabat et totum Brachium una cum Scapula a corpore avulsam secum ferebat. — Avulsio ista adeo celeriter fiebat, et tam exiguus, inde productus, doloris erat sensus, ut Molitor, postquam animum receperat, prius se Brachium amisisse non perceperit, quam cerneret illum rotae annexum esse. — Scalas deinde descendebat, et foras exibat, vix autem aliquot gressus absolverat, quin animo linquebatur, atque cadebat.

Aliqua sanguinis quantitas profluebat e vulnere et hujus Haemorrhagiae sistendae causa, qui advenerant, Saccharum pulverisatum inspergebant. — Chirurgus mox arcesitus eo properabat, et, vulnere explorato, inveniebat utique nullum amplius sanguinis effluvium
obti-

obtinere; igitur nihil praestandum esse censebat, nisi partes ambientes quantumpotè unire, quod effecit ligatura cruciata.

Postero die in Nosocomium delatus est Æger, et deligatione renovata sanguinis ne gutta fere prodiiit.

Verum cum Haemorrhagiam metuerint Chirurghi, deinceps per quatuor dies eandem deligationem in eodem statu reliquerunt, neque tamen aliquid accidit. Quotidie tum ex Artis praecepto Vulnus fuit deligatum, et Duobus Mensibus elapsis sanatum.

Brachium avulsum sequentia offerebat observanda. Scapula transversim erat perfracta, ut et Radius atque Ulna in Antibrachio.

Musculi qui Scapulae inferuntur omnes ab origine fere abrupti erant atque avulsi, quum contra Musculi, qui a Scapula originem ducunt, cum ea cohaerebant, ab origine itidem separati, et libere inde pendebant.

Musculi praeterea Brachii, Latissimus dorsi, Pectoralis Major, et Pectoralis minor, quo humero adhaerere solent, loco avulsi erant.

Cl-

Clavicula e loco non fuerat mota, et Integumenta communia, quibus Scapula et articulatio Humeri teguntur, integra veluti in ambitu Cultro resecta apparebant, loco fere ubi Musculus Deltoides Osfi Humeri adnectitur (g).

C A S U S 4.

Ultimus casus, quem huc referendum esse cenfeo, a Doct. PAULO DE WIND relatus est, et huic a Chirurgo Sylvaducensi communicatus. Iste casus huc fere redit.

Rustica quaedam vaccam feram arripiens, ut eam mulgeret, funem cui vacca erat alligata circa brachium suum firmabat. — Vacca tamen cursu praecipiti ruebat et Rusticam secum per prata trahebat: donec Brachium a corpore esset avulsum. Hae-

(g) Notissimus hic casus invenitur primo descriptus ab Exp. BELCHIER in Philosophical Transactions 1738 N. 449 Art. 5 pag 313 et Germanice inde Translatus a Doct. N. G. LESKE *Auserlesene Abhandlungen Praktischen und Chirurgischen Inhalts aus den Philosophischen Transactionen des Jahrs 1719 bis 1744* Lubeck und Leipzig 1775. 8. 2 Thr. Conferri praeterea potest MORAND *Opuscles de Chirurgie* — Usus sui editione germanica quae prodiit Lipsiae 1776 cum Praefatione Cell. ERNESTI PLATNER, cujus pag. 92 & seq. huc pertinent.

Haemorrhagia non valde conspicua erat, et vulnerata ad Chirurgum delata, secundum Artis regulas fuit deligata atque curata; quo facto brevi sanabatur, neque, durante curatione, insigne aliquod sanguinis profluvium apparebat (h).

(h) Vide PAULUS DE WIND De Vraag, is het niet afbinden der Navelstreng volstrekt doodelijk voor een Eerst-gebooren Kind? onderzocht en beantwoord. Middelburg 1757. 8vo. pag. 31.

S E C T I O III.

A N I M A D V E R S I O N E S.

DISPOSITIO TENDINUM, QUAE EVULSIONI FAVET.

§ 6. Omnes fere casus memorati primum in eo conveniunt, quod cum parte avulsa Musculi, praefertim vero Tendines Musculorum, cohaeserint ab altero extremo separati. Patet autem ex singulorum consideratione Musculos, sive Tendines longos isolatos hoc est ejusmodi, qui cum partibus adjacentibus non nisi laxae cellulosae ope cohaerent, tali evulsioni imprimis favere, cum contra Musculi, quorum maxima pars firmiori nexu Osfi alicui, vel parti cuicunque adnectitur, magis resistant, neque adeo facile evellantur.

Inde nostro in casu, § 1 & 2 memorato, Tendines Musculorum Digitorum Extensorum atque Flexorum cum Manu avulsa cohaerent. Musculi vero

Manus, qui magis intime a Radio vel Ulna originem ducunt et majorem horum Ossium superficiem occupant, non ita. Eodem modo, in omni Casu Digitorum evulforum, § 4 enarrato, Tendines Musculorum Flexorum, vel Extenforum, vel utriusque generis una fuerant] extracti. Ita etiam in Casu 3^{tio} § 5. Musculi, qui Scapulae inferuntur, omnes ab origine abrupti erant, atque avulsi, cum contra Musculi, qui a Scapula originem ducunt, cum ea cohaerebant et libere inde pendebant. — Musculi insuper Brachii, licet Tendine maxime robusto cum Osse Humeri cohaereant, tamen ab hoc avulsi erant et alterum extremum latissimum, majorem superficiem occupans, integrum remanserat.

H Æ M O R R H A G I A V I X U L L A.

§ 7. Praeterea in omni casu, cujus mentionem injeci nullum fere sanguinis profluvium fuit observatum,

Maxima forte quantitas evacuata est e Vulnere Molitoris, cujus Brachium totum evellebatur (vide Casum 3 § 5.) et nostro in Casu, § 1 & 2 narrato; simplicissima tamen Deligatione in utroque casu com-

pes-

pescebatur, neque ligatura Vascularum ad Haemorrhagiam fistendam opus erat. — Uti autem in genere Vulnus vel levisimum absque Vascularum laesione existere non potest, ita neque membrum aliquod avellitur, absque ut ejus Vasa dilacerentur, et quidem si Brachium vel Crus vi quadam adhibita a Corpore separatur, majora Vasa hic in censum veniunt. — In omni quidem Vulnere Vascularum minorum, orificia, quae in illud hiant, egregio Naturae conamine clauduntur, ita ut brevi Hemorrhagia etiam nullo Artis auxilio adhibito fistatur: — Scilicet tale Vasculum divisum retrahitur et sese coarctat, imprimis ab actione aeris, qua irritatur, atque ita clauditur orificium; aliquando etiam sanguis coagulatus, huic aperturae opponitur, eandemque claudit.

Verum si Vas aliquod majus cultro fuit resectum, pleno rivo e Venis, abrupto saltu ex Arteriis, sanguis exit, et nisi effluxus impediatur, mortem saepe inducit.

Undenam igitur in nostro casu, similibusque, accidit ut Haemorrhagia vix ac ne vix quidem observetur?

Vasa sanguinea, dum aliquod Membrum a Corpore avellitur, maxime elongantur, et tandem, Musculis jam in genere separatis, abrumpuntur, ita ut maxima pars plerumque cum Membro avulso cohaereat, et inde cum Musculis, Tendinibusque pendeat; quod maxime conspicuum erat in Casu Pueri No. 2. § 5 memorato.

Extremum Vasorum, quod ad Corpus reliquum est, jam sibi relictum, contrahitur, intra carnes absconditur, iisque veluti splenio naturali comprimitur. Praeterquam, quod ambitus aperturae Vasorum in tali casu fimbriatus sit, quae quidem fimbriae, Vasis contractis, lumen obturando sanguinis fluxum quodammodo impediunt.

Ipse etiam sanguis coagulatus aliquid huc conferre videtur.

Interea animadvertendum, Haemorrhagiam licet in initio vix ac ne vix quidem observetur, tamen Vulnerum Sclopetariorum haud raro sequelam esse, scilicet eo momento, quo crusta Gangraenosa separatur, vel Suppuratio incipit, vel etiam quando Febris inflammatoria vehementissima locum habet. Ideo

Ideo quae ad sanguinis fluxum sistendum infervire possunt ad manus esse oportet, quod etiam nostro in Casu factum fuisse § 1. notavimus. In omnī alio casu memorato illud non adeo necessarium erat, neque etiam observatum fuisse legimus, nisi in Casu Molitoris § 5. No. 3, ubi Deligationem per aliquot dies, prae Hemorrhagiae metu, in eodem statu relictam fuisse vidimus.

Licet in genere Haemorrhagia primum Vulnere Sclopetaria concomitari non soleat, tamen semper illud nequaquam obtinet, quando globus recta via atque citissime Vas aliquod majus transeat, insignis haud raro sanguinis fluxus obtinet, non nisi Artis auxilio adhibito sistendus.

S Y M P T O M A T A G R A V I O R A.

§ 8. Inflammatio, Gangraena, et suppuratio nimia, praecipua sunt symptomata Vulnerum Laceratorum atque Sclopetariorum.

Aliquando tantopere laeduntur partes, ut mox Gangraena corripiantur; saepius autem Inflammatio

primum suborta in Gangraenam abit, vel in Suppurationem, qua vires Aegri cum maxime exhauriuntur.

Plurimum hic dependet a velocitate qua vis illata in partem adfectam agit.

Si Globus v- g. quam citissime transeat, Vulnus ad naturam fere accedit fissurae, sed Inflammatio profundius penetrare solet, et concussionis sequelae insigniores observantur.

Si velocitas minor est, partibus sese extendendi magis occasio datur, neque adeo vitalitate privantur; Contusio tamen major est.

Praeterea, pro partium adfectarum, diversa indole Symptomata quoque differunt.

Vulnera Lacerata, atque Sclopetaria, si tantum partes molles affecerint, non adeo periculosa sunt; et in omni Casu memorato, ubi simplex dilaceratio vel avulsio obtinuerit, curatio facillime fuit absoluta.

Verum si una cum partibus mollibus Ossa etiam laesa fuerint, vel si major aliqua pars a Corpore a-

vel-

vellatur, in longe majori periculo Æger versatur.

Etenim in posteriori casu Inflammatio vehementior oritur, qua vis vitalis infringitur, atque Gangraena, vel Puris insignior separatio, inducitur.

Si Osfa simul comminuta vel disrupta sint, concussionis Symptomata magis observantur, quae pro Vulneris extensione plerumque graviora evadunt, ita ut tantum in adfectae partis vicinio observentur, vel in toto Corpore sese manifestent.

Pro ratione longitudinis, vel numeri, Musculorum Tendinumve evulforum in genere Symptomata graviora non fiunt.

Etenim in Casu 6^{to} § 4. ubi Doloris sensus vehementissimus, Motus convulsivi et deliria observabantur, minor erat avulsarum partium extensio quam in plurimis aliis casibus, qui longe mitioribus Symptomatibus stipati erant. — Symptomata ista Nervea, in casu modo indicato observata, magis a contusione atque dilaceratione partis reliquae Pedis pendere videntur, quibus systema Nervosum haud raro insigni stimulo adficitur.

Quidquid enim in genere labia Vulneris a se invicem removere valet, dolorem adauget, et pro ratione vis allatae, illud Symptoma adhuc ingravescit ita, ut totum Corpus, vel partes remotae, in consensum trahi soleant.

Inde etiam Urinae suppressio, quae nostro in casu § 1 narrato locum habebat, derivanda est.

Saepe etiam Symptomata Nervea cum maxime et unice pendent a sensibilitate Aegri, ab Animi Pathemate, Terrore, Timore, similibusque causis aliis.

C U R A T I O.

§ 9. Curam quod attinet, si pars aliqua fuerit avulsa atque dilacerata, cavendum ne Vulnus linteo carpto repleatur, inde enim labia Vulneris a se invicem removeri constat, adeoque, quod § praeced. monui, Dolorem aliaque Symptomata Nervea intendi.

Quidquid igitur stimulando agit, omnino evitandum est, et blanda quaevis Emollientia applicanda.

Partes dilaceratae residuae, quantum fieri potest, in ordinem sunt redigendae, et integumenta commu-

nia, si adfuerint, ad se invicem reducenda, atque unienda. Unio autem talis esse debet, ut, Suppuratione oborta, via pateat, qua Pus emitti possit, absque ut sua gravitate descendat, et ipsum sibi aliam viam eligat.

Linteum carptum ficcum adhibeatur, postquam Suppuratio se manifestaverit, quibus Splenia liquore quodam adstringente madida, superimponi possunt.

Haemorrhagiae insigniores sub initio Suppurationis si observentur, Ligatura, non vero Stypticis remediis fistendae sunt. — Vigente autem Suppuratione, si sanguis justo tenuior ex omni Vulneris superficie prorumpat, Roborantia et Adstringentia, externe adhibita, omnino profunt.

Nimia Suppuratio, si pendeat a Corporibus peregrinis, vel fragmentis Osseis, quod in Vulneribus Sclopetariis haud raro obtinet, eorum exitus promoveatur, atque ita Puris generatio imminuatur.

Praeterea in omni Casu dilacerationis vel evulsionis alicujus partis nostri Corporis, vel etiam in Vulneribus sclopetariis, Antiphlogisticam methodum

convenire ex antea memoratis constat. Dantur tamen, qui V. S., ubi Vulnere Sclopetaria cum Fractura ossium complicata fuerint, periculofam esse statuunt, quoniam Suppuratio insignior plerumque sequi soleat, et Febris, qua Vulneratus corripitur, raro unice Inflammatoriae indolis sit habenda, sed mixtae. — Ad Inflammationis tamen nimium impetum infringendum V. S. utique necessariam esse, eaque Gangraenam, quae toties dilacerationis, imprimis autem Sclopetariorum Vulnerum, sequela est, cum maxime praeveniri posse, crediderim.

Ad dolores leniendos, aliaque Symptomata Nervea sedanda, Narcotica conveniunt, quae etiam nostro in Casu et No. 6 § 4 egregie scopo inserviisse vidimus. Opium prae ceteris exhibendum est.

Cum vero Vulnere hujus generis absque Suppuratione curari nequeant, et Suppuratio in Casu graviore plerumque profusa obtineat, omnino necesse est, incipiente atque vigente hocce Symptomate, Dietam nutrientem commendare, et Corroborantia Medicamenta, Corticem Peruvianum, scilicet, aliaque, larga dosi propinare.

Cor-

Cortex etiam Peruvianus et Roborantia in genere conducunt, si Suppuratio in Gangraenam Sphacelumve abeat.

A M P U T A T I O.

§ 10. Si, una cum partibus mollibus dilaceratis, Ossa perfracta fuerint, aliquando Membrum reliquum servari potest, quin insignia hujus rei observata prostant; sed ab altera parte ita agendo, nimium haud raro cura protrahitur et, suppuratio tanta oritur, ut cum maxime debilitetur Æger, inde in magno vitae discrimine versetur, vel moriatur, et si superstes evaserit, adeo plerumque deforme, atque inutile Membrum secum ferat, ut potius Amputationem institutam fuisse optaret. — Quando Os aliquod in Articulo fractum est et in plura frusta divisum; quando partes molles maxima pro parte, imprimis Vasa atque Nervi, dilacerata sunt; quando totum Membrum vehementer concussum deprehenditur, frigidum, atque sensu destitutum, Amputationem necessariam esse censeo, neque Gangraenae fere certo oriundae indicia, prius expectanda esse; cumque nostro in Casu

§ 1 memorato tale quid observatum fuerit, Operationem etiam hic mox ab initio instituendam fuisse mihi quidem videtur.

Dantur tamen plures laesionis gradus, non quidem adeo gravissimi, sed minoris momenti, quorum cura difficillima est, in quibus num Amputatio necessaria sit, nec ne, vix determinari potest. — Tum vero non tantum ad laesionem, quæ talem, est respiciendum. sed totius Ægri habitus considerandus est, et status, in quo ab omni parte versatur.

Generalis igitur regula hic præscribi nequit.

Rationes quæ contra Amputationem, in genere proferruntur, sunt, Dolor quem Operatio creat, imo eodem fere momento, quo ceterum Corpus insigni Vulneri maxime irritatum, concussum, atque turbatum est; totius Membri præterea privatio, et Observationes Naturam sibi aliquando sufficere.

Contra, quæ pro Operatione militant, argumenta huc redeunt. Æger loco Vulneris irregularis, lacerati, magno periculo stipati, simplex Vulnerus incisum accipit, longe minus periculofum;

sum; Dolor inde ortus, illam a curatione, alias necessaria, pendentem vix excedit; et Membri privatio hic non adeo in censum venit, quoniam nunquam illud auferre tentabit Chirurgus, nisi Ægrum ita fervari posse censeat, absque Operatione vix ac ne vix quidem fervandum.

SEPARATIO PARTIS OSSIS SECTI.

§ II. Notavimus § I. post Amputationem institutam, sanationem plenariam protractam fuisse, separatione partis extremæ Ossis Humeri, — Videamus adhuc paucis, quid de hac re sentiendum sit.

Istiusmodi separatio laminae Ossis secti *exfoliatio sensibilis* audit, cum contra iste Naturae processus, quo extremum Osseum per abscissionem perit *exfoliationis insensibilis* nomine insignitur (i). — Distinguntur laminae separandae quoad formam atque magnitudinem in *superficiales* atque *profundas* (k).

Tem-

(i) Vide egregium Specimen inaugurale Viri Doctiss. PAULI GODFREDI VAN HOORN de iis quae in partibus membri praesertim osseis, amputatione Vulneratis notanda sunt L. B. 1803. 4 cum Tab. aen. pag. 45.

(k) Ibid. pag. 54.

Tempus separationis partis mortuae maxime differt, lente tamen semper Natura procedit, aetas Aegri, vires vitales, varia magnitudo partis separandae, et varia soliditas Ossis, praecipuae causae sunt, quibus separationis tempus determinatur (l).

Omnia, quae vel subito vel lente extremo osse relicto mortem inferre valent, exfoliationi sensibili anam praebent (m).


Inprimis vero huc facit nimia post Amputationem institutam Ossis denudatio, ita ut extremum ejus partibus mollioribus accumbentibus non tegatur, quod in nostro Casu locum habebat. Si probe curat Chirurgus, ut sufficientem quantitatem partium mollium fervet, qua Os plenarie tegi potest, in genere exfoliatio istiusmodi sensibilis omnino non observatur, saltem in sex Amputationibus, quas, praeter Casum memoratum, coram Auditoribus suis Leovardiae et Franequerae felicissime instituit Praecep-

(l) Ibid. pag. 65.

(m) Ibid. pag. 66.

ceptor Æstimatedissimus Cel. MULDER, illud nequaquam obtinuit, et brevissimo Temporis spatio Vulnus fuit sanatum.

Ex hisce vero omnium citissime curabatur Rusticus quidam, qui inter discordias civiles, anno 1797 nostra in Frisia concitatus, arma gerens disfiliente sclopeto die 4 Febr. vulnerabatur ita ut manus tota dilacerata esset atque perfracta. In medio fere Antibrachii Membrum fuit amputatum et, nullo mali ominis symptomate oborto, intra quatuor septimanarum spatium plaga egregie consolidata.



T H E S E S.

I.

Omnes Musculi, qui faciunt ad deglutitionem;
non uno eodemque temporis puncto agunt.

II.

Non proprio suo pondere, sed successiva OEso-
phagi contractione Musculari, ad Ventriculum depel-
litur Cibus et Potus.

III.

Superfoetatio in statu sano locum habere non po-
test.

IV.

Nulla Urinae via in Vesicam Urinariam datur,
nisi ex Renibus per Ureteres.

V.

V.

Qui in aqua pereunt, nimia ejus ingurgitatione non moriuntur.

V I.

Inter Remedia atque Auxilia eorum, qui submersi, strangulati, vel alio modo suffocati sunt, Gas oxygenium referri debere, nullus dubito.

V I I.

Hydrophobos neque Suffocatione, neque alio modo, necare licet.

V I I I.

Vermium Intestinalium prima origo non extra corpus, in quo nidulantur, quaerenda videtur.

I X.

Non semper a Graviditate contra indicatur vomitorium.

X.

Optimum Ulceris balsamum Pus est.

X I.

Exinde, quod Alvus respondeat, male concluditur
Herniam non esse incarceratam.

X I I.

Operatio Cataractae, quae per Extractionem efficitur, ea, quae depressione fit, multo videtur praestabilior.

